

*Descendet Dominus coram omni plebe
super montem Sinai.*

Léctio libri Exodi

19, 3-8a. 16-20b

In diébus illis:

- ³ **M**óyses ascéndit ad Deum,
vocavítque eum Dóminus de monte et ait:
«Hæc dices dómui Iacob
et annuntiábis filiis Israel:
- ⁴ “Vos ipsi vidístis, quæ fécerim Ægýptiis,
quómo do portáverim vos super alas aquilárum
et addúxerim ad me.
- ⁵ Si ergo audiéritis vocem meam
et custodiéritis pactum meum,
éritis mihi in pecúlium de cunctis pópulis;
mea est enim omnis terra.
- ⁶ Et vos éritis mihi regnum sacerdotum
et gens sancta”.
- Hæc sunt verba, quæ lóqueris ad filios Israel».
- ⁷ Venit Móyses et, convocátis maióribus natu pópuli,
expósuit omnes sermónes, quos mandáverat Dóminus.
- ^{8a} Respondítque univérsus pópulus simul:
«Cuncta, quæ locútus est Dóminus, faciémus».
- [8b-15]
- ¹⁶ Iamque advénerat tértius dies, et mane inclarúerat;
et ecce cœpérunt audíri tonítrua ac micáre fúlgura
et nubes densíssima operíre montem,
clangórque búcinæ veheméntius perstrepébat;
et tímuit pópulus, qui erat in castris.
- ¹⁷ Cumque eduxísset eos Móyses in occúrsum Dei
de loco castrórum,
stetérunt ad radíces montis.

¹⁸ Totus autem mons Sínai fumábat,
eo quod descendísset Dóminus super eum in igne,
et ascénderet fumus ex eo quasi de fornáce.
Et trémuit omnis mons veheménter.

¹⁹ Et sónitus búcinæ paulátim crescébat in maius;
Móyses loquebátur,
et Deus respondébat ei cum voce.

^{20a-b} Descendítque Dóminus super montem Sínai
in ipso montis vértice
et vocávit Móysen in cacúmen eius.

Verbum Dómini.